

rentem quem devoret (1), se habere colluctationem non solum adversus carnem et sanguinem, sed etiam adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritum nequitiae in caelestibus (2), docuitque modum ejusmodi hostibus resistendi eosque vincendi. Neutra proinde veritas in dubium, nisi per summum nefas, revocari potest.

Inst. Usus saltem exorcismorum, qui in ecclesia catholica adversus incantationes viget, haud parum confert ad diabolicas superstitiones apud populos fovendas; ergo.

Resp. N. Sed confert potius ad hoc, ut populi sibi persuadeant, Dei omnipotentia et Christi meritis diabolica molimina coerceri. In hypothesi autem adversariorum, juxta quam demoniacae operationes non dantur, inserviunt exorcismi saltem ad corrigendam phantasiae perturbationem tranquillitatemque in animos inducendam. Sane apud protestantes, qui profecto exorcismos non solum non adhibent, sed contemnunt, multo magis invaluit opinio maleficiorum aliarumque demoniacarum operationum, quam apud catholicos (3); idem dicatur de antiquioribus

(1) I. Petr. v. 8.

(2) Eph. vi. 12.

(3) Placet hic afferre, quae Sprengel op. cit. tom. VI. pag. 68 et 69. his verbis scribit: « Verso il fine del sedicesimo secolo si trovarono a Friedeberg nel Brandeburgese, più di 150 indemoniati, e dilatossi sì rapidamente e sì universalmente questo male, che il consistorio (protestante) ordinò a tal uopo delle preci per tutte le chiese. L'egregio signor Moehsen, da cui ho desunto queste notizie, fece vedere che la riforma, anziché impedire, dovette promuovere la propensione a simili assurdità. Lutero stesso non andò scevro da sì vani pregiudizi del suo secolo, di modo che ripeteva da diavoli quasi tutte le malattie, e s'adirava contro quei medici, che osavano derivarle dalle cause naturali » (Luth. opp. P. xxii. pag. 1171. 4. Hal. 1745.). « Asseri inoltre, che il diavolo gli ap-

haereticis, apud quos magia, incantationes, maleficia frequentissima reperuntur (1).

De Angelis hactenus. Jam ad ulteriora magisque necessaria progredimur.

parve in figura di monaco colle mani fatte a guisa degli artigli dei volatili, e che gli propose varii sillogismi (quibus nempe inductus est ad eliminandas Missas privatas). Anche Melantone coltivava la superstizione e si divertiva in raccontare le storie delle streghe e de' fantasmi (Cardan, *De subtilitate*, lib. xix. pag. 657. Melanch. *Declamat.* vol. vi. pag. 646.). Cotesa tendenza a sì vana credulità non potè a meno, subito dopo la riforma introdotta da Lutero, d'accumularsi fra predicatori (*tratti d'ordinario* dalla classe infima de' cittadini o dagli artigiani ignoranti. Finalmente, come riflette saggiamente il signor Moehsen, la riforma contribuì a moltiplicare i sortileggi, le malattie demoniache, le streghe, i fantasmi coll'abolizione de' pellegrinaggi, che presso i cattolici guarivano melanconie ed isterismi con prodigioso successo » (Moehsen. *Storia delle scienze nella Marca di Brandeb.* pag. 503). Plures in haec verba animadversiones institui possent: satis interea sit testimonium ipsorum protestantium circa demoniacae superstitionis progressum apud ipsos, ac remedia, quae in catholicis institutis reperiuntur, etiam si abstrahamus ab omni ope supernaturali. Peregrinationes enim, de quibus loquitur cit. Moehsen, institutae erant ad auxilium Sanctorum implorandum. Adeo apud protestantes invaluerat ejusmodi credulitas, ut non obstante doctissimo opere P. Spee, quamplurimi ex ipsis eam doctrinam et agendi rationem tueri conati sint, inter quos eminent Ben. Carpovius, Dan. Sennerius, Christ. Crosius, Mericus Casaubonus, Henr. Mauritius, Theoph. Spizelius, Jos. Glanvilius, Joan. Bapt. Van Helmontius, Conr. Hartzius, alique bene multi.

(1) Cf. Bergier, *Dict. de Théol.* art. *Magie*.

PARS SECUNDA

De Mundo.

Theologi dogmatici instituta consecrantes sacrarum Scripturarum ac philosophiae tractatoribus eas relinquimus quaestiones quae ad ipsos proprius spectant. Cosmogoniam Mosaicam unicè nobis propugnandam suscipimus tum à neotericis potissimum biblicis, tum à recentioribus nonnullis physicis, geologis, astronomis et criticis oppugnatam. Illi enim creationis historiam, qualis à Mose describitur, ut mythum biblicum traducunt; isti verò geologicis observationibus, supputationibus astronomicis, maxime verò chronologiae studiis Mosaicam historiam diruere penitus contendunt. Frustra verò in his vindicandis nostram operam impenderemus, nisi prius creationem ex nihilo velut dicendorum fundamentum praestitueremus. Ab hoc proinde auspiciant caetera ex ordine prosequemur.

CAPUT PRIMUM.

DE MUNDI CREATIONE EX NIHILLO.

Plus minus errarunt ii omnes, qui vel revelatione destituti, vel eam contemnentes de cosmogonia disse-

(a) Nobis tractatum hunc prelo jam commissuris nuntiatum est R. P. Perronium, ob insignem doctrinae pietatisque laudem, congregationis supremae de propaganda Fide consiliarium à SS. P. nostro Gregorio XVI nominatum esse. (Edit.)

ruerunt, seu de creaturarum rerum origine quaestiones instituerunt. Plerique veterum vel *hylozoismo* sive aeternae materiae existentiae fidem praestiterunt (1); vel emanationis doctrinae, quae rerum omnium congeriem per actionem Dei immanentem explicarunt (2), vel per divinae naturae radiationes (3), vel per panthei-

(1) Conf. Cudworth. l. 1, § 72, seqq. et § 851. Buddei Theses de atheismo p. 236. Platner *Aphorismen* Aphorismi 2, ed. 1, § 1044. Conf. de Nat. deor. l. 2. « Anaxagoras primus omnium rerum descriptionem et modum mentis infinitae vi ac ratione designari et confici voluit. » Virg. *Aeneid.* l. 6, v. 724. seqq., et Heyne excurs. 15. Buhle *Lehrb. d. Geschichte d. Philosophie*, seculib. doctr. historiae philosophiae 4, 156, seqq.

Apud philosophos graecos ita praevalet de aeternitate materiae sententia, ut cum Platone Deum non creatorem sive auctorem materiae, sed *opificem* mundi, seu auctorem formae esse plerique judicarent.

(2) Doctrina emanatismi bifariam dividitur, scilicet in emanatum *immanentem* seu per actionem, quae manet in Deo ipso, et in *transientem*. Primus statuit mundum esse Deum ipsum et convenit cum *spinosismo*; alter, scilicet transiens, consistit in eo, quod putetur materiam ex ipsa Dei substantia promanasse, non secus ac radii à sole evibrantur, aut sicuti ex aranea tela, ex bombyce filamenta produci solent.

(3) Quae ex sententia cabbalarum, si fidem adhibemus Kleukero *Heb. d. Natur. d. Emanationslehre*, etc.,

sinum (1), vel denique per *dualismum* (2). Recentiores autem non pauci philosophi aut veterum commenta veluti è rogo ac cineribus excitarunt, aut gravioribus erroribus mundi originem ejusque existentiam infeecerunt. Alii enim corpora ex mundi notione rejecerunt, solas substantias spirituales statuentes, ut *idealistae*; alii, *materialistae* nuncupati, exclusis spiritualibus substantiis, mundum solis corporibus constare arbitrantur; alii è dementia progressi sunt, ut praeter animam suam omnia è mundo tollant, *egoistae theoretici* appellati (3). Kantius positam distinctionem inter *noimena* et *phaenomena*, seu inter objecta intelligibilia aut subjectiva, et apparentia sive externa, statuit notionem mundi seu totius absoluti esse meram *ideam rationis suae* ultra phaenomena nitentis, et ad absolutum naturam suam tendentis, cujus existentia evinci non potest, et si quilibet id aggrediatur, rationem puram *antinomiis*, seu repugnantibus implicandam fore, eò quòd de mundo non nisi quae *complexu phaenomenorum sensus externi*, possit certò decerni è principii rationis theoreticae (4). Nos itaque mundi nomine intelligimus seriem unam absolutam entium finitorum contingentium, mutabilium et inter se connexorum, seu rerum omnium universitatem, quaecumque praeter Deum sunt, sive animatae sint, sive inanimatae, sive intelligentes. Cum verò de intelligentiis puris satis disseruerimus in superiori tractatus parte, ubi sermo fuit de angelis, de homine autem acturi simus in parte tertia, hic mundum adspectabilem et corporeum tantum seu rerum molem, quae nos circumstat, è nihilo conditum esse, propugnandum suscipimus. Ita dum mundum ex nihilo eductum adstruimus, per *nihilum* intelligimus statum possibilitatis merae internae, *logicae* à nonnullis nuncupatae, seu non existentiae, prout opponitur statui actualitatis et existentiae, atque ut punctum et terminum, à quo actualitas esse coepit, et quidem, ut aiunt, tum ex nihilo *sui*, tum ex nihilo *subjecti* (5).

sen de Naturae doctrinae emanationis, et Tidemann Geist. d. speculativen, etc., id est: Spiritus philosophiae speculativae p. 3, 156, seqq., originem habuit.

(1) De quo in tractatu de Deo disseruimus.

(2) Ib. n. 138, seqq.

(3) Conf. Imre Philosophia, seu Amicum foedus rationis cum experientia. Pestini 1827, par. 5, c. 1, § 5.

(4) Ib. Ex hac theoria factum est, ut Kantiani solam metaphysicam mundi sensibilis pertractent sub titulo *philosophiae naturae* aut *somatologiae metaphysicae*: eam verò, quae de mundo quae toto absoluto, et complexu non tantum phaenomenorum sed et noimenum omnium ageret, cujusmodi ea pars philosophiae est, quae vulgò cosmologia nuncupatur, ne quidem scientiae nomine dignentur. Ante Kantium haec divisio inter *phaenomena* et *noimena*, quae introducta est ad *idealismum* constabillendum fuit prorsus inaudita. Quatuor universim critici Kantiani de mundo *antinomias* totidem *thesibus* et *antithesibus* expressas ponunt, quas quisque recollere potest apud Galuppi, *Lettere filosofiche*. Messina 1827, lett. 12, p. 270, seqq.

(5) Alii distinguunt inter *nihilum positivum* et *nihilum negativum*. Nihilum positivum vocant illud quod actu non est, sed solum in potentia; nihilum negativum quod neque in actu, neque in potentia saltem proxima est. Alii discrimen posuerunt inter *nihilum negativum* quod significat *ἀπειρη* vel negationem *omnis entitatis* et inter *nihilum privatium*, quod exi-

PROPOSITIO. — Deus, prout ex divina revelatione constat, mundum ex nihilo in tempore seu cum tempore condidit.

Est de fide, ut patet ex Symbolo Apostolico: « Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae, » (*visibilem* scilicet et *invisibilem*, ut exponit symbolum Nicæno-Constantinopolitanum, et apertius etiam ex concilio Lat. IV, quod speciatim sancivit), « unum esse creatorem omnium...., qui simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spirituales et corporales, angelicam videlicet et mundanam (1) ». Praefatam doctrinam Moyses satis apertè tradidit per ea verba, quibus librum Geneseos exorsus est: « In principio creavit Deus caelum et terram, » in principio scilicet temporum, creaturas omnes enasci ex nihilo jussit. Etsi verò hebraica vox ברא (barà), quam Alexandrini verterunt *ἐποίησε* fecit, vulgatus autem latinus interpres creavit, tum ex nihilo aliquid educere, tum ex subjecta ac praexistente materia opus conficere ac efformare per se significare possit, quod plura exempla demonstrant (2); in priori tamen significatione in adducto Geneseos loco accipi debere, mundumque proinde ex nihilo tum *sui* tum *subjecti*, atque in tempore seu cum tempore conditum esse ex ejus collatione cum aliis Scripturae textibus et ex sensu traditionali apertè colligitur. Etenim praeter ea quae Ps. 101 habentur: *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli*, Christus Joan. 17, 5, sic Patrem

stans quidem aliquid scilicet *materiam* supponit; sed ad aliquid producendum prorsus ineptam et informem. Deum aiunt hi primò produxisse ex nihilo negativo, scilicet *ἐξ οὐκ ὄντος* ex non ente, nihilum privatium seu materiam informem (creatio prima dicitur), seu primi ordinis, deinde ex materia informi res creatas omnes (creatio secunda nuncupata). Ad tollendam proinde omnem aequivocationem, quae in varià *nihili* notione inest aliis verbis usi sumus.

(1) In cap. *Firmiter*, superius adducto.

(2) Vox ברא proprie significat cadere, uti Jos. 17, « 15. שמ לבוא אתך ובראת לך שם » ascende in sylvam et succide tibi illuc, et rursùm ib. v. 18, *Ezech.* 25, 47 *והוא אהרן* *והוא אהרן* et succidit eas in gladiis suis. Porro ברא, ut observat Schultens ad excerpta Hamase c. 384, denotat praecidere, praecidendo asciare, ac *dedolare*, adhibitis nempe instrumentis fabrilibus, atque adeò *exasciare*, mox *fabricari*, ut *Ezech.* 21, « 31: ita etiam Scheidius in libro Geneseos ad fidem codd. Mss., etc., tum verbum ברא omnino eadem significatione sumitur quae *עשה* et *יצר* fecit, finxit. » Ita quidem Car. Rosenmuller; ast fallitur; ברא enim in conjug. *kal* potius proprie significat creavit, nec nisi in conjug. *piel* usurpatur in sensu succidendi, cadendi, etc., etonim nusquam in sacris litteris eo sensu accipitur nisi in *piel*; quòd si Gen. 1, 21, 27, occurrat vox ברא quae significare possit formavit, non autem speciatim creavit, attamen si sumatur pro toto supposito hominis et animalium, de quibus illic sermo est, commodè in nativo suo creandi sensu accipi potest; quidquid porrò sit, in notione creandi verbum ברא in *kal*, accipi debere evidens fit ex antiquis versionibus et linguis affinis, ut patet ex loco, quem versamus. Num verò ex hoc loco divisim sumpto ostendi possit vocem, creavit, à Moysse usurpari in sensu educationis ex nihilo, non contendimus, quum neque apud Latinos haec vis insit huic verbo. Conf. Petav. supra, de *Opif.* l. 1, c. 1, § 8, seqq.

orabat. Clarifica me, tu, Pater, apud te metipsum claritate, quam habui prius quam mundus esset, apud te (1). Verum omnium apertissima verba sunt, quibus, 2 Machab. 7, 28, sic mater filium suum natu minimum ad martyrium vehementer hortatur: Peto, nate, ut aspicias ad caelum et terram, et ad omnia, quae in eis sunt, et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.

Hinc si paucos excipias sive incredulos sive haereticos (2), tum universa Hebraeorum gens, tum Christiani omnes conspirarunt in hoc adstruendo dogmate. Imò Patres omnes istud tanquam principium certum habuerunt adversus Gnosticorum et Manichaeorum errores, ut adstruerent scilicet, Deum unum esse rerum omnium creatorem (3), materiam verò ejusdem Dei conditoris esse opus.

Ex ratione sic thesis confirmatur. Mundus est finitus, constat enim partibus finitis. Ergo est contingens, mutabilis, dependens; si contingens, mutabilis et dependens, ergo ab alio est tum quoad materiam, tum quoad formam, et causam efficientem habet, ac proinde improductus non est: quod improductum non est, aliquando non fuit, quod aliquando non fuit habuit initium existendi; quod aliquando non existit,

(1) Joan 17, 5: Καὶ ὅτι ὄψεσθαι με σὺ, Πάτερ, πρὸς σέα καὶ ὅτι ὄψεσθαι ἐγένοντο πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρὰ σοὶ. Idem docetur Rom. 4, 17.

(2) Ex haereticis omnium antiquissimus, qui negaverit creationem ex nihilo, est Hermogenes, quem tanquam stolidum disputatorem Tertullianus impugnavit in lib. adv. eumdem. Marcion jecit potius fundamenta manicheismi de duobus principiis. Non defuerunt tamen sequioribus temporibus etiam in christianorum cœtu, qui simplicitati fidei et oraculis divinis deliramenta sua praeponerent. Tales illi fuerunt, de quibus scribit Procopius Gazaeus non ignobilis sacr. libr. sec. 6 interpres, qui dicerent aetate suâ Moysen ab Aegyptiis edoctum tradidisse, mundum à Deo ex materia quadam aeternâ conditum, eaque de causâ in graecâ Vers. cap. 1 Gen. vocabulum ἐποίησε, fecit, adhibitum esse, quod de rebus etiam usurpari soleat, quae ex materia quadam praëxistente conficiuntur. En verba Procopii translata ex graeco exemplari, quod omnium primus dedit Steph. Souciet S. J. in observat. ad lib. posth. Rich. Simonii, Paris, 1750, 4 vol. 8°, cujus auctor habitus antea fuerat P. Tournemini eruditus alter è Soc. J. scriptor: « cum vocabulum ἐποίησε de illis etiam rebus adhibeatur, quae ex materia quadam fiunt, de falce, v. g., quae paratur ex ferro, et aliis rebus ejus generis, quae conficiuntur ab artificibus, nata hinc est nonnullis occasio dicendi Mosen, quam ab Aegyptiis edoctus esset, accommodatè ad hanc sententiam verbum ἐποίησε usurpasse: quorum hominum fallaciam cum nesciret graeci interpretes, Mosis verbum Hebraeum verterunt ἐποίησε: at quovis tempore strenui fidei defensores non defuerunt, qui ita eos refellerunt, ut nunquam assurgere potuerint, ac propterea obscuri jacuerunt. » Ex his patet, quâ fronte ausi fuerint Anglus Jac. Windetus in lib. de Statu vitâ functorum, lect. 2, p. 48; Burnetus archeol. philosoph. l. 2, c. 9, p. 455, aliique apud eosdem arguere potuerint scholasticos, quasi illi omnium primi creationem ex nihilo ex malè acceptâ significatione vocis ἔκτισεν confixerint antiquioribus Christianis prorsus incognitam.

(3) Conf. Iren. Adv. haer. lib. 1. c. 22. lib. 2. c. 2. et c. 27. lib. 3. c. 8. edit Massuet. Tertull. de praescript. c. 15. ac lib. 1. adv. Marc. c. 10. seqq. Origenes de Principiis in proem. n. 4. ed. Maur. August. de Genesi cont. Manich. 1. 1. c. 2.

ex statu merè logico, seu possibili perductum est ad statum existentiae; quod autem sic producitur, ex nihilo oritur et quidem tum sui tum subjecti ac proinde in tempore.

Quae quum ita sint, cornunt per se iniquiora omnia systemata irreligiosa tum antiquorum, tum recentiorum philosophorum. Ex dictis enim sequitur absurdum esse hylozoismum, autotheismum, pantheismum, manichaeismum, emanatismum tum transeuntem, tum permanentem (1). Ac solam proinde mosaicam cosmogoniam admittendam esse; seu, quod id est, Deus, quod ex revelatione constat, mundum ex nihilo et in tempore seu cum tempore condidit.

Difficultates.

I. Obj. 1° Recentioris aetatis homines dubitarunt, an verè affirmetur in libris sacris mundum ex nihilo esse creatum; 2° siquidem ambigua sunt verba Gen. 1, 1, itemque formulæ 2 Mach. 7, 28; Hebr. 2, 5; Rom. 4, 17, et Sap. 2, 15 (2); verum 3° quum miracula jam ab antiquissimis temporibus cognita fuerint, haud longè abfuit mens humana à cogitatione istâ creationis ex nihilo (3); 4° quae argumentis etiam philosophicis posteriore tempore demonstrata est: hinc rectè vocaveris dogma creationis ex nihilo ideam philosophicam ac recens natam, perperam Moysi adscriptam. — Respondeo ad primum Dist.: Sociniani, deiste ac rationalistae, transeat, vel concedo; alii, nego; eequid non in dubium revocârunt ejusmodi haeretici vel increduli? Hinc nulla prorsus ratio habenda est ejusmodi hominum, qui à traditione recedentes atque ab Ecclesiae auctoritate et quaecumque germanae exegeseos regulâ, evanescent in cogitationibus suis. Ad secundum, juxta dicta, nego. Ad tertium, nego suppositum, tum quia notio miraculi in creatione seu educatione rerum ex nihilo non includitur (4), tum quia non ab humanae mentis cogitatione prodiit idea creationis ex nihilo, sed ex primavâ traditione, seu revelatione divina. Ad quartum, dist.: Facem praebente revelatione, concedo; independentè ab eâ, nego; ut patet ex veteribus philosophis, quorum plerique saltem, ut principii philosophicis contrarium quidquam ex nihilo ad existentiam produci traduxerunt (5), nec minùs procul à vero abierunt philosophi recentiores revelatione neglectâ, ut ex dictis constat. Negamus propterea illationem; creationem videlicet ex nihilo esse ideam philosophicam, ac proinde à Moysè doceri non potuisse.

(1) Conf. Imre op. cit. c. 2, § 1, seqq. (2) Wegsch. § 95, n. (d), et Baumgarten-Crusius Bibl. theol. p. 257, seqq. (3) Staudlin Dogmat. u. Dogmengesch. seu dogmatica et historia dogmatum, p. 242. (4) Conf. S. Th. 1. p. q. 105, a. 7, ad 1, et 1-2, q. 144, a. 10. (5) Hinc Cicero de Div. lib. 2, c. 16. « Erit aliquid, inquit, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito occidat: quis hoc physicus dixit unquam? » Ed. Taur. opp. t. 15. Conf. Moshemii diss. de Creat. mundi ex nihilo, ad caput 5, system. intell. Cudworthi, quae tamen cautè legi debet. Vid. et Gerdilii Introduz. allo studio della religione. l. 1, § 2, tum lib. 2, § 9, seqq.

Quin potius accedit, dogma et ideam creationis ex nihilo antiquissimam esse profectam ex traditione populorum, ac praecessisse ipsam Graecorum philosophiam, cujus rei testes sunt cosmogoniae poetarum, quae omnes incipiunt à χάος chaos, quod propriè significat vacuum, vastum, hiatus, inane, seu nihilum (1); testes praeterea sunt cosmogoniae Aegyptiorum et Phoenicum, quas exhibet Philo Biblicus, quasque planè consentire cum mosaicâ cosmogoniâ eruditè comperit est (2).

Inst. 1°: Ex quorundam interpretum sententiâ sic verba Genes. 1, 1, reddi debent: Cum Deus fecit caelum et terram, materia erat informis; 2° quam expositionem confirmat versio Alex., quae sic habet: in prin-

(1) Χάος enim est à χάω hio, vacuus sum, capio; vide Scapulam et Ernestum. Hinc Jo. Dan. à Lennep in Etymologico linguae Graec. cum animadvers. Scheidii, Trajecti 1808, ad hanc vocem scribit: « A χάω remansit proximè derivatum χάος, sic vocabant vastum illud inane rerum condensarum capax... à χάω, sive χάω χάω μίγξα (Luc. 16, 26) intercepido magna. » Hesiodus porò in Theogon., v. 125, scribit: Ἐκ χάος ὁ Ἐρεβός τε μέλαινα τε Νύξ ἐγένοντο. Ex chao verò Erebusque nigraque Nox editi sunt. et v. 116.

« Ἦτοι μὲν πρότεστα χάος γίνετ' αὐτὰρ ἔπειτα. Ἦ εὐρύστερονος. Primo omnium quidem chaos fuit, et deinde Tellus lato pectore praedita.

Ex his Ovidius l. 1 Metamorph., v. 5, seqq., etsi diversâ significatione; Diogenes Laert. in proem. Segm. 10, hanc tradit fuisse Aegyptiorum de rerum origine philosophiam ἀρχὴν εἶναι τὴν ὕλην, εἶτα τὰ τίσιμα στοιχεῖα ἐξ αὐτῆς διακρῆθῆναι, καὶ στωὰ τὴν ἀποτελεσθῆναι; « materiam principium fuisse rerum, ex eâ deinceps quatuor elementa discreta perfectasque quasdam animantes, » Joan. Clericus in comment. ad c. 1 Genes. inquit: « Fragmenta doctrinae veterum Chaldaeorum, Phoenicum et Aegyptiorum apud eas gentes mundi initium ostendunt. Ea collecta sunt à doctissimis viris T. Stanleio Philosoph. orient. l. 1, Hugone Grotio lib. 1. De verit. relig. Christ. et Joan. Marshamo initio Aegyptiaci canonis. »

(2) H. Grotius l. c. ostendit convenientiam cosmogoniae Phoeniciae, quam refert apud Euseb. l. 1, c. 10. Praep. evang., Philo Biblicus, seu potius Manethon Aegyptius antiquissimus scriptor, cum cosmogoniâ mosaicâ. Porò et cum cosmogoniâ Hebraicâ convenit Aegyptiorum cosmogonia, quam refert Diodorus Siculus biblioth. l. 1, c. 15. Cum tanta sit harum omnium cosmogoniarum convenientia, Hezel atque Hasse, aliique critici protestantes arbitrati sunt ex communi aliquo fonte eas repetendas, nempe ex Aegyptiorum libris sacris Taauto tributis è quibus Sanchuniaton Berithus et Plato in Thimæo suam depromperant. His adstipulatur Rosenmuller. Sed queri potest unde Aegyptii hauserint suam? Profectò nonnisi ex antiquâ traditione. Moyses hanc traditionem integram servavit, ut patet ex ipsius narrationis simplicitate: contra ceterae gentes illam plus minùs corruperunt. Conf. Nicolai Dissert. è Lezioni di sacra Scrittura diss. 5 proemiale, et lez. 1, sul Genesi, ubi ingenti eruditione veterum et recentiorum usque ad aetatem suam placita expendit. Ceterum Gesenius Commentat. de theol. Samarit. c. 4, ostendit, Samaritanos docere mundum ex nihilo conditum esse. Ab his non discrepant ipsi Sinenses, qui ex antiquissimâ traditione docent mundum, seu caelum et terram non secus ac hominem principium à Deo conditore habuisse. Conf. cl. Windischmann in erudito op. die philosophie, etc., seu philosophia in progressu historice mundi, Bonnâ 1828, vol. 1 p. 1, sect. 4, p. 442, seqq.

capio Deus fecit caelum et terram, id est, formavit ex jacente materia; 3° juxta illud Sap. 11, 18: fecit (Deus) mundum ex informi materia (1). Profectò 4°: Tertullianus aliique Patres, ac nonnulli etiam theologi fatentur creationem ex nihilo ratione potius, quam Scripturâ auctoritate comprobari. Imò 5°: Beausobre censet dogma creationis alienum esse ab antiquâ Judaeorum theologia (2). Ergo.— Respond. ad primum: Dist.: Socinianorum, concedo; Orthodoxorum, nego. Cum Sociniani juxta protestantismi principia, ubi pedem figant, non habeant in sacrarum litterarum expositione, eas contra nativum ac traditionalem sensum ad propria placita detorquent. Ad secundum, nego. Idè enim Septuag. vocem ἔκτισεν reddiderunt ἐποίησε, quia id querit Graecæ linguae indoles, ut patet ex ipso Symbolo Constantinopolitano: « Credo in unum Deum factorem « Coeli, » etc. (ποίησιν), ubi vocem factorem, creatorem significare nullum dubium est. Ad tertium, nego: Non aliud quippe exprimit Sapientiae auctor, quam Deum non solum materiam condidisse (quod aliqui creationem primam vocant), sed ipsam praeterea sapienter disposuisse (creationem secundam dicunt), ut patet ex contextu et scopo commendandi Dei sapientiam (3). Ad quartum, nego. Tertullianus enim, tum Scripturarum auctoritate, tum ratione ipsâ, ostendit adversus Hermogenem materiam non esse aeternam (4). Caeterum Bergierius provocat adversarios, ut vel unum ex partibus vel theologis catholicis proferant, qui affirmaverit, aut saltem innuerit, creationem ex nihilo Scripturâ auctoritate probari non posse. Ad quintum, esto; at irriti sunt omnes impii istius scriptoris conatus ad propugnandos Manichaeos et incredulos, singulis enim ferè Scripturarum paginis refellitur. Ipsum praeterea Judaeorum institutum de sanctificatione sabbati, atque usus, qui penès omnes ferè gentes antiquas obtinuit, supputandi tempus per septem dierum circulum (5),

(1) Κτίσαι τὸν κόσμον ἐκ ἀμόρφου ὕλης. (2) Hist. du manich. t. 2, p. 182. (3) Huic Sap. loco explanando conferunt, quae scribit Joan. Damasc. de Fide orthod. l. 2, c. 5, ed. Le-Quien. (4) Conf. c. 18 et seqq., et patebit, quot Scripturarum testimonis Tertullianus evincat creationem materiae ex nihilo. Quamquam et ipsum librum orditur ab argumento praescriptionis fidei catholicae adversus recentem Hermogenis haeresim. (5) Henke Lineam. fid. christ., p. 81, dierum in hebdomades divisionem Aegyptiis jam pridem cognitam fuisse contendit, etiamsi Dio Cassius primus hujus rei mentionem fecerit. Ideler Handb. d. mathemat. u., etc., seu Manuale mathematicae et chronologiae technicae ex originalibus elaboratum 2, vol. Bresl. 1825, 26, 1, p. 178, seqq., et ueb. die siebentagige Woche, id est, de hebdomadâ septem dierum, eandem supputationem ex rationibus astronomicis secundum ordinem quem Aegyptii planetis tribuerunt repetitam esse vult. Ast perperam. Marshamus enim et Spencerus, qui ei praerierunt in hoc commento, validissimè refutati sunt à Meyero de Tempore sacr. Hebr., p. 1, c. 19. Quare rectius Grotius de Verit. relig. chr. c. 16, et Jurieus Hist. des dogmes, censent usum in Oriente obtinuisse supputandi tempus in hebdomadas ab ipso mundi exordio, esseque residuum antiquae traditionis de mundi creatione; recentior tamen usus invaluit denominandi dies à nomine planetarum. Videsis Nicolai op. c. lez. 16 del Genesi.

scu per hebdomadarum periodum non obscurè traditionem innuunt de creatione, prout ipsam Moyses enarrat.

II. Obj. Justinus Mart., Origenes, Clem. Alex., nullam agnovērunt creationem ex nihilo, sed materiam æternam professi sunt (1). Ergo.—Resp.: Neg. ant. Etenim S. Justinum æquè ac Athenagoram ab hac criminatione præclare defendit clar. Maran in præf. ad istorum opera (2); et sanè S. Justinus in Exhort. ad Græcos hoc asserit: « Creator enim nullà re alià indigens, suà virtute et potestate id, quod fit, efficit. Opifex verò, acceptà ex materià condendi facultate, opus suum construit; hinc Platonem arguit quòd Deum non creatorem, sed opificem fecerit. » Origenes autem in Genesim et alibi non solùm materiam creatam apertè affirmat, sed et impietatis eos arguit, qui eandem Deo cœternam esse effutierunt (3). Clemens denique Alex. in Exhort. ad gentes speciatim docet voluntatem Dei solam causam esse efficientem creati hujus orbis (4).

III. Obj. 1°: Notio creationis ex nihilo contradictionem involvit; 2° hinc receptum illud apud veteres axioma: *Ex nihilo nihil fit*; et sanè 3° creari est mutari à non esse ad esse. Subjectum ergo postulat, in quo mutatio fiat; cùm verò ejusmodi subjectum in nihilo nequeat esse, creationem impossibilem esse arguit. Rursùm, 4° materia, quæ à Deo creata supponitur, ante creationem vel fuisset in Deo vel extra Deum; at in Deo esse non potuit, qui purus spiritus est; non extra Deum; alioquin fuisset antequàm crearetur (5). Ergo.—Resp. ad primum: Nego. Nulla enim contradictio reperiri potest in eo quod ex statu simplicis possibilitatis transit ad statum realis existentie (6). Ad secundum, dist.: *Ex nihilo* tanquàm termino positivo, quo sensu veteres usurparunt (7), concedo; *ex nihilo* tanquàm termino negativo, subd.: per se, concedo; accedente infinità Dei potentia, nego. Ad tertium, dist.: Impropiè, concedo; propriè nego. Mutatio enim propriè dicta in generatione fit, in quâ subjectum, seu materia, quæ semper eadem remanet, ad aliam formam se transfert; in creatione autem, cùm tota substantia è nihilo sui et subjecti ad esse transferatur, subjectum saltem actu existens, in quo

(1) Sic auctor epist. à Mr. de Beaumont, p. 50.

(2) Præf. in opp. S. Justini p. 2, c. 2, ubi apertissima tum Justinus, tum Athenagoræ testimonia profert, quibus ipsi docent mundum et materiam è nihilo fuisse à Deo productam.

(3) In c. 1. Gen., ed. maur., ubi sententiam eorum qui Deo materiam origine carentem elaborandam artificum nostrorum more dandam esse putant, *errorem* vocat, et latè refutat; tum in Joan. tom. 1, n. 18.

(4) Conf. Bergier, *Traité histor. et dogmat.*, tom. 5, p. 2, ch. 3, art. 1, § 1, n. 3, seqq.

(5) Ita auctor *du Système de la nature*.

(6) Conf. Lobe *De l'entend. hum.* l. 4, ch. 10, cum observatione Petri Coste in vers. Gallicâ.

(7) Conf. Cudworth. *Syst. intellect.* c. 5, § 14 et seqq., ubi prolixè effatum istud expendit, et quo sensu illud veteres usurpaverint, quo sensu verò accipiant recentiores; simulque ostendit non omnes veteres creationem ex nihilo saltem in aliquibus, e. g., animis nostris inficiatos esse. Conf. etiam Huetium in quæst. alnetan. l. 2, c. 5.

mutatio fiat, non requiritur. Quare creari, docet S. Thomas, magis propriè dicitur *feri* quàm *mutari* (1), nihil enim in creatione mutatur, sed quod antea non erat, esse integrum perfectumque adipiscitur. Ad quartum, resp. fuisse in Deo *virtualiter*, ut scholæ loquuntur, atque *eminenter*, non autem *formaliter*, quâ ratione in Deo, qui spiritus est, materiam inesse utique repugnat, non autem *virtualiter*, quatenus scilicet Deus omnipotente virtute eam ad existentiam ex non esse vocare poterat (2).

Inst. 1°: Modus quo aliquid ex nihilo eruitur est prorsus incomprehensibilis, nec ullà experientia fulcitur, ergo est impossibilis; 2° verùm datâ ejusdem possibilitate, sequitur ab æterno mundum creari debuisse, quia causa ejus efficiens necessaria et æterna esset; 3° effectus verò causæ proprietates participare debet ac proinde æternitatem. Sanè 4° cur Deus ab hesterno die tantùm distulisset promere potentiam suam? An quia non potuit? An quia noluit? Atqui si uno tempore non potuit, ne alio quidem potuit. Si noluit, cùm in Deo nulla sit successio, nunquàm voluit; si demus Deum aliquid voluisse, jam inde ab æterno voluit. Ergo.—Resp. ad primum, transeat, vel concedo ant., nego cons. Innumera ferè sunt, de quorum existentia dubitare minimè possumus, etsi modus nos lateat, quo se habeant, agant et operentur. Quot enim sunt naturæ phænomena, quæ ob oculos nostros observantur, quæque non comprehendimus? De naturâ, non dicam spirituum, sed corporum ipsorum, quid intelligunt adversarii nostri? Quid de modo quo anima in corpus, corpus verò in animam agat? Etsi igitur nos fateamur adæquatam ideam creationis ex nihilo nobis efformare non posse, non desunt tamen exempla, quæ cunctis obvia sunt, et saltem rem hanc illustrant, qualia sunt cogitationum efformatio atque successio; motus, quem anima corpori imprimit, aliaque ejusmodi (3).

Sic ex eo quòd nullà experientia constet, aliquid è nihilo oriri, inferri nequit impossibilitas originis ex nihilo. Nec enim finis seu terminus cognoscibilium ac proinde possibilium solis objectis experientie definiri potest, ut Kantianis placet. Cæterùm illud solum impossibile est, quod contradictionem in suo conceptu involvit. Hæc verò neque ex incomprehensibilitate

(1) L. p. q. 45, a. 1 ad 2.

(2) Conf. S. Th. l. c. q. 44, a. 1, seqq.

(3) Bayle ipse auctor profectò non suspectus in *Dict. art. Ovide Rem. G.* gravissimis rationum momentis ostendit neminem sanâ ratione utentem dubitare posse, quin ipsa materia producta à Deo sit. « Il faut, pour bien raisonner sur la production, inquit, considérer Dieu comme l'auteur de la matière, et comme le premier et le seul principe du mouvement. » Si l'on ne peut pas s'élever jusqu'à l'idée d'une création proprement dite, on ne saurait éviter tous les écueils, et il faut, de quelque côté qu'on se tourne, débiter des choses dont notre raison ne saurait s'accommoder, etc. » Conf. Bened. Pererium S. J. in op. de communibus omnium rerum naturalium principiis, etc., Romæ 1585, 4°. l. 5, c. 7, p. 190, ubi octo affert argumenta, quibus ostendit solâ ratione mundum non modò quoad formam, sed etiam quoad materiam ex nihilo conditum esse.

neque ex defectu experientie ostendi potest. Contra verò positiva contradictio ostenditur in hypothesibus adversariorum de materiâ à se existente, de emanatione, de reflexu divinæ apparitionis, aliisque ejusmodi, quæ ipsi excogitarunt.

Ad secundum, nego sequelam; ad prob. autem, distingo. Si causa efficiens æterna et necessaria agat necessariò, concedo. Si liberè agat, nego. Optimè S. Thomas: « Deus voluit, inquit, ab æterno, ut mundus esset, sed non ab æterno, sed quando ipse ab æterno disposuit (1). » Ad tertium, dist.: Qui à causâ necessariâ et naturaliter agente producit, transeat; qui à causâ liberâ et ad nutum voluntatis provenit, nego. Responsio patet ex dictis. Transmisimus primum membrum, quòd necessarium minimè sit, ut causa attributum suæ naturæ semper communicet effectui, ut in *sagittâ* et *vulnere* ab illâ inflicto palàm fit. Ad quartum, responsio ad impudentem æquè ac absurdam ejusmodi expostulationem ac dilemma, quod subsequitur, patet ex resp. ad secundum (2).

Dices: Posito mundi initio, tempus quod mundi creationem præcesserit, omninò vacuum admittere oporteret, quod est planè absurdum.—Resp.: Id est imaginarium, transeat; reale, nego. Cùm enim tempus successionem involvat, tunc primò incipit, cùm entia contingentia existant, quibus non existentibus nullum datur tempus, sed sola ejusdem possibilitas; quo fit ut, dum entia existere incipiunt, propriè *non* in tempore, sed *cum* tempore incipiant.

CAPUT II.

DE MOSAICA COSMOGONIA.

Etsi theologi munus non est reconditorum scientiarum naturalium, ut vocant, penetralia pervadere atque maturiori examini subjicere, ubi tamen necessitas postulat, cùm religionis christianæ hostes scientiis naturalibus abutuntur in ipsius religionis perniciem, nihil vetat quominus religionis propugnatores et vindices, eâ quâ par est temperantiâ seu quatenus opus est ad religionem ab impiorum conatibus tuendam, iisdem utantur. Jam verò increduli nullum non moverunt lapidem, quo mosaicam narrationem de mundi creatione evertant. Quod ut perficiant ad physicam, ad telluris historiam confugiunt, nec non ad astronomicas leges, ex quibus constare affirmant perquam tardam montium constructionem, sitis maris mutationem, vulcanorum extinctorum pervetustam antiquitatem, fossilia in terræ visceribus delitescencia, eclipse inclinationem, aliaque non pauca necessariò exposcere seculorum seriem, quæ cum Mosaicâ historiâ haud queat conciliari.

His porrò disjiciendis, ut faciliorem nobis viam sternamus, quædam accuratè præmittenda ducimus, quibus conatibus veluti suâ sponte concidit quæcumque magno illi molimine ac inutili labore adversus

(1) *Cont. Gent.* l. 2, c. 50, seqq.

(2) V. Tassoni: *La religione dimostrata e difesa* t. 1, l. 1, p. 39, ed. rom.

Mosaicam cosmogoniam, vel, si magis placet, geogoniam congresserunt.

I. Quidem notandum est, si strictiùs loqui velimus, Mosaicam chronologiam initium ducere ab hominis creatione. Moyses enim annos tantùm enumerat Adam cæterorumque patriarcharum.

II. Nondùm exploratum penès omnes esse, num sex dies, de quibus Gen. 1 est sermo in rerum creatione, sint reverà sex dies naturales vel potius sex indeterminate atque indefinitæ plurium aut dierum aut annorum periodi. Hujus enim sententiæ patroni animadvertunt vocem *dies* in libris sacris non præ se ferre notionem certam ac invariabilem, sed interdùm tempus lucis (appellavitque *diem lucem*), interdùm indeterminatum temporis spatium, ut Gen. 2, 4, ubi Moyses ipse scripsit: *Iste sunt generationes cæli et terræ... IN DIE, quo fecit Dominus cælum et terram et omne virgultum agri*, etc., id est, *in tempore*, quod apud Græcos Latinosque non minùs quàm Hebræos, inquit Petavius, usitatum est (1); animadvertunt præterea tres dies priores similes nostris haud esse potuisse, quùm non nisi die quartâ facta fuerint luminaria, ut diei ac nocti præessent, quod multò magis valere debet de die septimâ, in quâ Deus ab omni opere, quod patrârat, quievisse perhibetur, qui adhuc perdurat (2); et sanè, addunt, si non solùm Philoni Judæo (3), sed et Clementi Alex. (4), Origeni (5), Procopio Gazensi (6), ac præsertim S. Augustino (7) licuit, salvâ fide, sex dies creationis allegoricè interpretari, ac totum creationis opus momento temporis expletum asserere; si absque temeritatis notâ S. Eucherius Lugdunensis (8), Tonti, Serryus, Macedo, Bertius aliique eandem sententiam tueri potuerunt (9); si non admodùm dissimilem expositionem primi Geneseos capituli Cajetanus et Melchior Canus (10) impunè dederunt, apertè consequitur, nihil obesse, quominus expositio de sex periodis indeterminatis admittatur, eò magis quòd S. Augustinus tum in lib. 4 de Gen. ad

(1) Lib. 1. de Opif., c. 14, § 1, ubi exemplum adducit ex Cicerone, qui lib. 2 in Verrem inquit: « Itaque, cùm ego *diem* in Siciliam inquirendi *perexigiam* postulavisset, invenit iste, qui sibi in Achaïam *biduo breviorè diem* postularet. »

(2) Dies septimus (inquit appositè S. August. lib. 13. Conf. c. 36) sine vespere est nec habet occasum. »

(3) De Opif. mundi, ed. Turnebi.

(4) Lib. 6, Strom., p. 813, edit. Potteri Ven. 1757.

(5) De Princip. l. 5, c. 5.

(6) Procopii Gazæi sophistæ Octateuchum. comm. in Gen. c. 1.

(7) Lib. 2. De Gen. cont. Manich., c. 3. De Gen. ad lit. imperf. capp. 2, 9, 15. Tum de Gen. ad lit. l. 4, 5, 6. Vid. S. Th. in 2 sent. dist. 12, q. 1, a. 6, et in Summâ 1 p., q. 58, a. 6. Faure S. J. in *Enchirid.*, S. Aug. p. 18.

(8) Sive auctor doctus et cathol. *Comment. in Genes.*, quod ejus nomine circumfertur.

(9) Berti de Theol. discipl. l. 11, c. 2, prop. 1, ubi plures sive antiquos sive recentiores pro eadem sententiâ recenset. Conf. etiam Petav. de Opif. l. c. c. 5, necnon Card. Noris *Vind. August.* c. 4, § 9. Nat. Alex. H. Ec. 5, T. t. 1, diss. 1, ar. 8, prop. 1. Nicolai lez. 6 sui Genesi.

(10) Cajet. in comment. ad cap. 1, Gen., v. 5. Melch. Canus apud Bannez. p. 1, q. 74, ar. 2.